



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

[ii].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

DISSERTATIO TERTIA

De Intellectu & Voluntate.

I. **I**Ntellectus humanus est potentia cognoscitiva purè spiritualis anima rationalis. Adjiciunt quidam: cognoscitiva per discursum & species à sensibus haustas, utpote qui est modus cognoscendi intellectui humano maximè connaturalis & proprius, præsertim pro statu conjunctionis. Quatenus à phantasmate abstrahit, unaquè cum illo concurrente fabricat sibi species impressas intelligibiles, dicitur intellectus agens; quatenus productas à se has species recipit, dicitur intellectus possibilis seu patiens: quatenus unum ex altero deducendo ratiocinatur, dicitur ratio: quatenus judicat volitiones esse bonas vel malas, dicitur conscientia: quatenus recordatur præteritorum, dicitur memoria.

II. Actus intellectus (ut sparsas per Philosophiã ejus divisiones sileã) alius est intuitivus, qui strictè acceptus est cognitio, quã cognoscitur objectum clarè, immediatè in se, vel per species proprias (quales censentur adhuc eæ, quas Deus infunderet, dummodò eodem

eodem modo repræsentativæ sint objecti, ac species ab eo emissæ) ut existens pro certa temporis differentia, præteriti, præsentis vel futuri: alius abstractivus, quo objectum cognoscitur obscure, vel per species alienas, vel in alio, abstrahens ab objecti existentia. Alius est comprehensivus, qui strictissime acceptus est cognitio adæquans cognoscibilitatem objecti extensivam, id est, repræsentans omnia, quæ in objecto sunt formaliter vel eminenter, sive omnia ejus prædicata absoluta & respectiva in particulari (quæ posteriora cognosci perfecte non possunt, nisi perfecte quoque cognoscantur horum respectuum termini, & horum terminorum rursus prædicata respectiva &c.) talem cognitionem, tam respectu suiipsius, quam creaturarum dari in solo Deo, manifestum est; adæquans præterea objecti cognoscibilitatem intensivam, id est, repræsentans objectum cum tanta claritate & perfectione, quanta juxta exigentiam & activitatem objecti haberi potest: aliquantò tamen mitius acceptus, est cognitio repræsentans objectum secundum omnia prædicata absoluta, & præcipua rela-

tiva, ita tamen, ut eorum termini, non nisi secundum rationem specificam repræsententur. Huic opponitur actus non comprehensivus, cui aliquid ex jam dictis deest.

III. Species impressæ intelligibiles necessariae sunt intellectui, tam ad operationes, quibus objecta primò cognoscit, quàm quibus cognitorum recordatur, (nisi fortè objecta sint intimè intellectui præsentia, & ad eundem per se ipsa movendum maximè proportionata, qualis Deus est respectu intellectus Beatorum) etiam præsentè phantasmate. Intellectus enim, qui de se proximè impotens est, & indifferens ad cognoscendū hoc, vel illud, vel nihil, quemquè objecta, præsertim materialia & absentia, per se ipsa movere non possunt, nequè etiam illi coniungi per aliquod materiale sui vicarium, nequè per ipsam speciem expressam phantasticam, utpote etiam materialem, adeoque adhuc improportionatam, debet determinari ultimò, & proximè moveri ad cognitionem spiritualem, & constitui illi objectum proximè intelligibile per aliquod spirituale, quod objecto det veluti esse aliquod spirituale, sive spiritualizet illud
sicut